

/ Ill^{me} et R^{me} D^{ne} D^{ne} observ^{me}

R^{mus} D^{nus} Symeon episcopus pro gente Rasciana in Croatia et Slavonia et partibus Hungariae constitutus ab archiepiscopo Bulgarorum graecae fidei his diebus conversus a schismate graeco ad fidem catholicam hinc versus Romam proficiscitur, ut se sistat S^{mo} D^{no} Nostro, ut relictis erroribus Graecorum praestet fidem summo Pontifici, et sacrosanctae Romanae ecclesiae obedientiam profiteatur. Gens illa Rasciana cuius est pastor, longe lateque in illis partibus diffusa est, ita ut sub se habeat ad 6000 animarum, quae ad gremium ecclesiae per illum et socios quos conatur isthinc eruditos huc ad informandam gentem illam adducere.

Et certo hic confessor Christi dici potest, utpote quod gravia sit passus ab haereticis Hungaris, qui illi multa bona ademerunt ac lethalia vulnera inflixerunt, prout eius cicatrices manifeste demonstrant. Eius socius Dominus Martinus olim noster discipulus, qui R^{mo} episcopo conversionis est author, plurimum desudavit ut illum populum ad fidem revocaret, et inter suos labores pro sua pietate et simplicitate daemones e corporibus fidelium eiecit. Haec scribo non ut ille resciat. Interim utrumque V. Ill^{mae} et R^{mae} D. humiliter commendo.

Graetii 11 Sept. a. 1611.

V. Ill^{mae} et R^{mae} D.

Servus in X^{to}

Servus et filius

Barth. Villerius.

Arch. Vatic. Mss. Gesuit. 18 fol. 86. Origin. autogr.

del vescovo di Rascia
delle cento medaglie di S^{to} Carlo
del libro di francesco Diatalleni.